

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3749

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Denis, Saint-Denis (abbaye)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1271, 11 février

Lieu d'émission : La Valette

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, demande les prières pour ses parents à l'abbé et aux moines de Saint-Denis.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 801, p. 185.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex, dilectis suis in Christo abbatii et conventui monasterii Sancti Dionysii in Francia, salutem et dilectionem. Inter graves et miserabiles hujus vitæ et humanæ conditionis pressuras, afflictiones et tribulationes amaras, in alto positi, immo consternati animo, et vehementis amaritudinis et doloris gladio nostram pertranseunte animam graviter vulnerati, singultuosos fletus, profundos gemitus, et anxios prodere cogimur ulutatus. Attendite siquidem, o dilecti, quæsumus, et videte, si est dolor similis, sicut dolor noster. Nam cum nuper felicis memoriæ præcarissimus dominus et genitor noster Ludovicus Francorum rex, alumnus pauperum, nutritior religiosorum, oppressorum solatium, refugium miserorum, patronus ecclesiæ, præcipuus amator justitiae, ac defensor inclitus fidei Christianæ : necnon dilectissimus frater noster Johannes comes Nivernensis, quem non solum carnalis affectio, et naturæ vinculum, sed et bona indolis primordia, vitæ innocentia, et in ætate tam tenera magnæ discretionis industria plurimum reddiderunt carum nobis : ac insuper princeps egregius carissimus noster sororius et amicus Theobaldus rex Navarræ, illustris princeps quidem, tam prudens, tam commendabilis, tam potens : postquam ipsi vivificæ crucis signaculo insigniti se tota sua virtute, ad dilationem et exaltationem fidei accinxerant, et ad partes accesserant Africanas, ad errores infidelium Sarracenorum ibidem radicibus extirpandos, nobis subtracti fuerint ex hoc mundo, sicut Domino placuit, qui, prout vult, ad se vocat subjectas suæ potentiae creaturas, nondum tamen his minime contentus, mundanæ hujus plagis pestilentiae nos reliquit. Nam carissima uxor nostra Isabella regina Franciæ, cuius Deo et mundo amicabilis vita erat, quadam proprii corporis infirmitate gravata, postulatis attente primitus ab eadem, et cum omni devotione susceptis ecclesiasticis sacramentis, demum die Mercurii ante Purificationem Beatae Mariæ Virginis vitam præsentem finivit. Unde nostris prioribus doloribus dolores alii continui et amaritudines inculcantur, suspiria germinantur suspiriis, et gemitus gemibus cumulantur. Cumque dictorum nostrorum domini et genitoris, atque fratris et uxoris corpora faciamus, ut tenemur et volumus, ad partes regni nostri præsentialiter una nobiscum deferri, sic in nostris oculis quotidie plaga recens est : verum cum expedit et deceat in adversis hujusmodi fortitudinis spiritum nos habere, nostramque voluntatem divinis beneplacitis conformare, ac congruum in Domino consolationis remedium recipere, in conspectu cuius pretiosa

esse speratur et creditur mors ipsorum, qui ejus in fide ac dilectione, sequentes ejusdem vestigia, suas animas reddiderunt ; adtendentes autem esse sanctum et salubre pro ipsis exorare defunctis, et ad alia recurrere subsidia caritatis, de sinceritate vestra gerentes (sic) in Domino, specialem vestræ caritatis abundantiam affectuose rogamus quatinus animas eorumdem et nunc specialiter animam prædictæ reginæ, pro qua vobis alias non scripsimus, piis missarum et devotarum orationum suffragiis divinæ misericordiaæ commendetis et faciat multis ecclesiasticis, tam religiosis quam sœcularibus, vobis subditis, commendari. Nos autem dilectum capellatum nostrum Vivianum de Bosco, exhibitorem præsentium, ad vestram ob hoc præsentiam duximus super his vobis ore tenus intimandis, rogantes vos quatinus quæ ex parte nostra vobis super hoc dixerit, fidem eidem adhibere velitis. Actum Valleti, die mercurii post octavam dicti festi, anno Domini ducentesimo septuagesimo.